



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

Dominica prima post Octavam Epiphinæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

## DOMINICA PRIMA POST

Octavam Epiphaniæ.

De miraculo factō in nuptiis : & de eo quod Dominus ait :  
*Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur  
 à nuptiis, Luc. 12.*

## S E R M O I.

*a LUC. 12. c*

*b Psal. 45. b*  
*c Psal. 39. a*  
*Adventus*  
*Domini se-*  
*cundius seve-*  
*rus.*

**I**N lectione sancti Evangelii, Fratres, hodie audivimus, quia Dominus noster ivit ad nuptias. Faciamus ergo, quod alibi monet <sup>a</sup> : & studeamus similes fieri *hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur à nuptiis*. Nam tenenti carrueam in agro, & vendenti aliquid veleni in foro, non dicitur, quid expectas ? Neque enim similes sunt expectantibus. Ei verò quem videmus stare ante januam, pulsare crebrius, saepius suspicere ad fenestras : nihil mirum si dicitur, quid expectas ? Illi ergo sunt similes expectantibus, qui non surda aure audierunt ; *Vocate & videte, quoniam ego sum Deus* <sup>b</sup>. Veniet Dominus expectantibus eum in veritate : qualis erat qui dicit <sup>c</sup> : *Expectans expectavi Dominum.* Veniet tanquam revertens à nuptiis inebriatus vino charitatis, & immemor iniquitatum nostrarum. Veniet non expectantibus tanquam revertens à nuptiis, tanquam potens crapulatus à vino, verè ebrius, & immemor miserationum tuarum. Tunc enim quantum ad illos oblidiscetur misereri Deus. Veniet in ira & indignatione tanquam furibundus : sed ô Domine, ne in furore tuo arguas me. Hæc modò non tam in præsentibus nuptiis, quam pro earum occasione sint dicta.

Jam verò sequamur unà cum Discipulis ad nuptias euntem Dominum, ut videntes quod facturus est, pariter credamus cum illis. *Deficiente vino dixit Mater Iesu ad eum : Vinum non habent.* Compassa est enim eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas ? Quid, inquam, mirum si pietatem exhibit viscera pietatis ? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem ? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit ? Nam & ante mentem replevit, quam ventrem : & cùm processit ex ute-  
 ro, ab animo non recessit. Durior fortasse & austerior videri posset responsio Domini, sed noverat ille cui loqueretur : & quis loqueretur, illa non ignorabat. Denique ut scias quomodo responsum ipsum acceperit ; aut quantum de Filii benignitate præsumperit, ait ministris : *Quæcumque præceperit vobis, servate, & facite.* Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ.

Has

Has nunc hydrias purificandis veris Judæis non litera, sed spiritu, *Sex hydriæ mysticæ*  
necessæ habemus apponere, vel magis appositæ demonstrare. Quia enim nondum pervenit Ecclesia ad perfectam purificationem, quando eam  
sibi Christus exhibebit gloriosam non habentem maculam, neque rugam,  
aut aliquid huiusmodi: multis interim purificationibus opus habet, qua-  
tenus sicut abundant peccata, abundet indulgentia: sicut multiplicatur  
miseria, sic & misericordia: nisi quod non sicut delictum, ita & donum.  
Gratia enim non solum peccata lavat, sed & merita donat. Sex igitur  
hydriæ sunt positæ his qui post baptismum in peccata labuntur: de his  
enim loquimur, quia de his sumus. Eximus tunicam veterem: sed heu-  
peius reinduimus eam. Lavimus pedes nostros. sed peius inquinavimus  
eos. Sicut ergo quod aliis inquinaverat, lavit alius: sic inquinatos à no-  
bis lavari opus est à nobis. Alienæ lavit aqua, quos culpa inquinaverat a-  
lienæ. Nec tamen sic alienam dixerim, ut negem nostram, alioquin nec  
inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus:  
nostra, quia et si in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judi-  
cio imputabatur, licet occulto. Veruntamen, ut jam non sit quod cause-  
ris, ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut  
gratis venundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adam periisti,  
nesciens vivificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus  
Adam tetendit manus noxias: nescisti nihilominus quando in ligno sa-  
lutifero innoxias manus Christus extendit. A primo homine in te ma-  
navit macula, qua inquinatus es: à Christi latere aqua, quæ mundatus  
es. Nunc jam inquinatus propria culpa, propria nihilominus aqua mun-  
daberis, ab alio tamen & per illum, qui solus est purgationem faciens  
peccatorum.

Prima ergo hydria & prima purgatio in compunctione est, de qua le-  
gimus, quoniam in quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquita-  
tum eius non recordabor<sup>d</sup>. Secunda vero confessio est. Omnia siquidem in  
confessione lavantur. Tertia eleemosynarum largitio. Hinc enim habes  
in Evangelio<sup>e</sup>: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quar-  
ta, remissio iniuriarum, secundum quod orantes dicimus<sup>f</sup>: *Dimitte no-  
bis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta, est affli-  
ctio corporis: unde & oramus<sup>g</sup>, ut mundi per abstinentiam Deo cana-  
mus gloriam. Sexta, est obedientia præceptorum, sicut audierunt discipu-  
li: (quod utinam audire mereamur & nos:) *Vos mundi estis propter sermo-  
nem quem loquutus sum vobis<sup>h</sup>.* Nimirum quia non erant sicut hi qui-  
bus dicitur<sup>i</sup>: *Sermo meus non capit in vobis:* sed in auditu verbi obau-  
dierant ei. Hæ sunt sex hydriæ positæ in purificationem nostram,

Sermones S. Bernardi

R

quæ

1. Hydria  
compunctio.

d Ezech. 18. f

2. Confessio.

3. Eleemosyna.

e Luc. 11. f

4. Remissio

iniuriarum.

f Matt. 6. b

5. Afflictio

corporis.

g hymn. ad f.

6. Obedientia.

h Ioh. 15. 2

i Ioh. 8. c

*Posita hæc qui  
post baptismum  
in peccata la-  
buntur.**Christi & A-  
de collatio.*

*Ista hydriæ,  
sæc rasa pœ-  
nitentia im-  
plentur aqua  
Timor Dei,  
postea conve-  
tenda in vi-  
num Amoris.  
k Esai. 38.b*

*Duplex ti-  
mor.*

*Tertius Timor  
Religiosorum  
proprium.*

*I Matt. 9. d*

quæ vacua sunt & plenæ vento, si pro inani gloria observantur. Aquæ repleantur, timore Dei custodiantur, quoniam timor Domini fons vitæ, aqua, inquam, timor Domini est, & si minus sapida, sed optimè refrige- rans animam noxiis desideriis extuantem. Aqua est quæ jacula inimi ci ignita possit extinguere. Nam nec illud dissonat, quod aqua semper ima petit, & timor ad ima cogitationem deducit, & in inferioribus im moratur, atque loca horrenda pavida mente collustrat, juxta illud : *Va-  
dam ad portas inferi*<sup>k</sup>. Sed divina virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem.

Dicuntur autem lapideæ hydriæ, non tam propter duritiam quam stabilitatem. *Cipientes singulæ metretas binas vel ternas.* Duæ metretæ, duplex timor, ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi. Sed quia de contingente futuro sunt ista, & blandiri potest sibi anima dicens : Postquam aliquandiu in voluptatibus tuis vixeris, ages poenitentiam, nec ista jam cariturus, nec periturus in illa : bonum est adhibere & tertium : qui utique spiritualibus notus est, eo utilior quod de præsenti est. Timent enim qui noverint spiritualem ci bum, ne quando forte fraudentur eo. Cibo siquidem forti egent qui manum miserunt ad fortia. Vivant de paleis Ægypti qui deserviunt in operibus luti & lateris, nobis fortior cibus est necessarius : quoniam nobis grandis restat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius. Ipse est panis Angelorum, panis vivus, panis quotidianus. Hic est de quo nobis promissum est<sup>l</sup>, quia centuplum accipiemus in hoc seculo. Sicut enim mercenariis & quotidianus cibus datur in opere, & merces servatur in fine : sic Dominus vitam æternam in fine reddet, & interim centuplum repromittit & exhibet. Quid ergo mirum si timet ne perdat hanc gratiam, qui iam consecutus est eam. Hæc est metreta tertia, quam sub disjunctione signanter posuit, cò quòd non omnium sit, quia nec omnibus centuplum repromissum, sed solis qui omnia reliquerunt,

### DOMIN. I. POST OCTAV. EPIPHAN.

Despiritualibus nuptiis in Evangelica historia  
designatis.

### S E R M O II.

*Chriftiduplex  
pylchriudo:* **I**N operibus Domini, Fratres, & minus capaces animos exterior confideratio pascit : & qui magis exercitatos habent sensus, solidiorem intus cibum inveniunt, & suaviorem, tanquam adipem medullamque frumenti. Sunt enim & exteriori specie delectabilia, & interiori virtue multo delectabiliora : quemadmodum & ipse exterius quidem speciosus erat

# Dominica I. post Octav. Epiph. Serm. II. 133

erat forma præ filiis hominum : interius autem tanquam candor lucis <sup>interior</sup>  
 æternæ, etiam ipsis supereminens vultibus Angelorum. Apparebat e-  
 nim foris homo sine culpa, caro sine peccato, agnus sine macula. Quam  
 speciosi pedes annunciantis pacem, annunciantis bona <sup>a</sup> ? sed multo spe-  
 ciosius & preciosius caput eius : quoniam caput Christi Deus. Dele-  
 tabilis aspectus hominis in quem peccatum non cadit : & beati oculi qui  
 viderunt, sed multo magis beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-  
 bunt <sup>b</sup>. Denique cum pervenisset ad nucleum, testam jam (licet deco-  
 ram valde) non reputabat Apostolus, dicens <sup>c</sup> : Et si cognovimus aliquan-  
 do Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus. Nimirum quia  
 Dominus ipse prædixerat <sup>d</sup> : Caro non prodest quicquam, spiritus est qui <sup>d</sup> Ioan. 6.8  
 vivificat. Sed hæc est sapientia quam loquitur Paulus inter perfectos,  
 non inter eos quibus legimus ab eodem dictum <sup>e</sup> : Nihil arbitratus sum <sup>e</sup> 1. Cor. 2.4  
 me scire inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Totus suavis  
 est, totus salubris est, totus delectabilis, totus denique secundum Sponsæ  
 vocem <sup>a</sup> desiderabilis. Sicut autem in eo ostensum est ; sic & in operi-  
 bus eius reperies. Nam & superficies ipsa tanquam à foris considerata  
 decora est valde : etsi quis fregerit nucem, intus inveniet quod jucundiùs  
 fit, & multo amplius delectabile. Non sic apud Patres veteris testamenti  
 reperies. Nam & in operibus eorum decora & delectabilis est signifi-  
 catio mystica : ipsa tamen si per se considerentur, invenientur aliquanto  
 minus digna, ut sunt facta Jacob, adulterium David, & multa similia.  
 Preciosa quidem sunt fercula, sed vasa non adeo pretiosa. Et fortasse pro-  
 pterea dictum est <sup>f</sup> : Tenebrosa aqua in nubibus aeris, quoniam tenebro-  
 sae nubes illæ fuerunt, & subiunctum est de Domino : Præ fulgore in con-  
 spectu eius nubes transferunt.

Credo jam advertitis ad quid hæc dicere velim. Audistis enim ho-  
 die miraculum factum in nuptiis : initium utique signorum Domini : cu-  
 ius & historia satis est admirabilis, & significatio amplius delectabilis. Ma-  
 gnum enim divinæ maiestatis indicium fuit, ad nutum Domini aquam  
 in vinum converti : sed est illa multò melior mutatio dexteræ Excelsi,  
 quam in ista præfiguravit. Omnes enim nos ad spirituales nuptias vo-  
 cati sumus : in quibus utique sponsus est Christus Dominus : unde ca-  
 nimus in Psalmo <sup>g</sup> : Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. <sup>Nuptiae spiri-</sup>  
 Sponsa verò nos ipsi sumus, si non vobis videtur incredibile, & omnes si-  
 mul una sponsa, & animæ singulorum quasi singulæ sponsæ. Sed quan-  
 do hoc sentire poterit fragilitas nostra de Deo suo, quod eo affectu se di-  
 ligat, quo diligitur sponsa à sposo ? Multum enim hæc sponsa sposo  
 suo inferior genere, inferior specie, inferior dignitate. Attamen propter

R. 3

Æthio.

<sup>exterior.</sup>

<sup>a</sup> Esa. 52.1

<sup>b</sup> Matt. 5.8

<sup>c</sup> 2. Cor. 5.4

<sup>d</sup> Ioan. 6.8

<sup>e</sup> 1. Cor. 2.4

<sup>a</sup> Cant. 4.4

<sup>f</sup> Psal. 17.6

<sup>g</sup> Psal. 18.6

<sup>h</sup> Christus Spon-

sus.

<sup>i</sup> Psal. 18.6

*Anima hominis sponsa.  
Amor sponsi erga sponsam.  
h Num. 11.*

Æthiopissam istam de longinquo Filius æterni Regis advenit, & ut sibi despontaret illam, etiam mori pro ea non timuit. Moyses quidem Æthiopissam duxit uxorem<sup>b</sup>: sed non potuit Æthiopissæ mutare colorrem. Christus verò quam adamavit ignobilem adhuc & fœdam, gloriosam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. Murmuret Aaron, murmuret & Maria, non nova, sed vetus: non Mater Domini, sed soror Moysi: non nostra, inquit am, Maria, illa enim sollicita est, si quid forte deest in nuptiis. Vos autem ut dignum est murmurantibus Sacerdotibus, murmurante synagoga, toto affectu in gratiarum actione versamini.

*Dignitas &  
excellētia  
sponsi.*

*Reciproca  
sponsæ erga  
sponsum A-  
moris.*

*Convivium  
nuptiale.*

*i Psal. 45. a  
Cœna est alter-  
ius vita,  
Prandium  
presentis, ibi  
mera abun-  
dantia; hic  
sapè defectus  
vitis.*

Unde enim tibi, ô humana anima, unde tibi hoc? Unde tibi tam inestimabilis gloria ut eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli ipsi prospicere? Unde tibi hoc, ut ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cuius nutum universa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, socia deniq; thalami, ut introducat te rex in cubiculum tuum? Vide jam quid de Deo tuo sentias: vide quantum de Deo præsumas. Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redemandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imo qui tanti te fecit: de latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in cruce, & somnum mortis excepit. Propter te à Deo Patre exivit: & matrem Synagogam reliquit: ut adhærens ei, unus cum eo spiritus officiaris. Et tu ergo audi filia & vide, & considera quanta sit erga te dignatio Dei tui: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce: à prioribus viitiis abstine, consuetudines noxias obliuiscere. Quid enim putas? nonne stat Angelus Domini qui fecet te medium, si forte (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorem?

Jam enim despontata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur: nam cœna quidem in cœlo & in aula æterna paratur. Veruntamen nunquid ibi vinum deficit? Absit. Inebriamur ibi ab ubertate Domus Dei, & torrente voluptatis eius potabimur<sup>i</sup>. Paratum est profecto illis nuptiis flumen vini, vini inquam, quod lœtificat cor. Siquidem fluminis impetus lœtificat civitatem Dei. Nunc autem quoniam grandis nobis restat via, prandium quidem accipimus hic, et si non in tanta copia, quod plenitudo & satietas cœnæ reservetur æternæ. Hic ergo nonnunquam vinum deficit, gratia scilicet devotionis, & servorum charitatis. Quoties mihi necesse est, Fratres, post lachrymosas querimonias vestras, exorare Matrem misericordiæ, ut suggerat suo benignissimo Filio quoniam vinum non habeat? Et ipsa, dico vobis charissimi, si pie à nobis pulsata fuerit, non deerit

# Dominica I. post Octav. Epiph. Serm. II. 135

debet necessitati nostræ: quoniam misericors est, & mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundia illorum à quibus fuerat invitata, multo magis compatietur nobis, si piè fuerit invocata. Placent enim illi nuptiæ nostræ, & pertinent ad eam multo amplius illis: nimirum de cuius utero tanquam è thalamo suo cœleitis sponsus processit.

*Recurſus  
BERNARDI  
ad Virginem  
Deiparam.*

Sed quem non moveat quod in nuptiis illis respondit Dominus benignissimæ ac sanctissimæ matri suæ dicens: *Quid mihi & tibi est mulier?* Quid tibi & illi, Domine? Nonne quod Filio & Matri? Quid ad illam pertinet quæris, cum tu sis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipsa est quæ salvo pudore concepit, & sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est, in cuius utero novem mensibus moratus es: cuius virginis uberibus lactatus es: cum qua jam duodecim annorū factus de Hierusalem descendisti, & eras subditus illi? Nunce ergo Domine quid molestus es illi dicens: *Quid mihi & tibi?* Multum per omnem modum. Sed manifestè jam video quod non velut indignans, aut confundere volens virginis Matris teneram verecundiam, dixeris, *Quid mihi, & tibi?* cùm venientibus ad te (juxta matris præceptum) ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggestit. Ad quid ergo fratres, ad quid sic respondebat prius? Utique propter nos, ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quandiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Unde & legimus fratrem quemdam in eremo conversantem, cum ad eum carnis frater auxili gratia adventasset, respondisse, ut adiret alterum fratrem eorum, cum illè utique jam obiisset. Cumque admiratus qui venerat responderet: quia ille obiit: e remita se quoque similiter obiisse respondit. Optimè ergo nos docuit plo suo redar- Dominus ne solliciti sumus super propinquis carnis nostræ plus quam gemitus Religiosos parentibus & propinquos nimum affectos Christus exempli & Marc. 3. religio postulet, quando ipse Matri & tali Matri respondit, *Quid mihi & tibi est mulier?* Sic & in alio loco cum suggereret ei quidam quoniam foris staret cum fratribus Domini quærens ei loqui, respondit <sup>k</sup>: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Ubi modò sunt qui tam carnaliter & inaniter super carnalibus propinquis suis solent esse solliciti, ac si adhuc vivent & ipsi cum eis?

Sed videamus jam quid sequitur. Erant, ait Evangelista, hydriæ sex positaæ secundum purificationem Iudeorum. Vel ex hoc potes manifestius advertere non plenitudinem, sed præparationem nuptiarum esse, ubi nimirum adhuc opus est purificatione. Desponsationis ergo nuptiæ istæ sunt, non copulationis. Absit enim illis in nuptiis fore vasa purificari.

purificationis: quando gloriosam sibi Christus Ecclesiam exhibebit, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid huiusmodi. Ubi autem non erit macula, quæ purificatione erit necessaria? Nunc utique lavandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam: quoniam nemo mundus à forde, nec infans cuius est unius diei vita super terram. Nunc abluitur sponsa, nunc purificatur: ut in cœlestibus illis nuptiis sponso suo sine omni macula præsentetur. Quæramus ergo hydrias sex, in quibus hæc ablutio Judæorum, id est, confitentium purificatione fiat. Nam si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est<sup>7</sup>, quæ sola liberat, sola salvat, sola lavat. Quod si confiteamur peccata nostra, non deerunt veris Judæis purificationis hydriæ: quoniam fidelis est Deus, qui dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.

*Sex hydriæ mystice:* 1. *Continētia*. fallor) hic poterimus invenire. Prima siquidem continentia est castitatis, qua diluitur quicquid antè luxuria inquinavit. Secunda verò *jejunium* est, ut quod maculaverat crapula, nunc abstinentia mundet. Per segnitiem quoque & otiositatem quæ inimica est animæ, multas contraximus sordes contra Dei sententiam<sup>8</sup> in sudore vultus alieni, non nostri, pane vescentes: propter hoc quoque tertia hydria, nobis apponitur, ut sordes illæ in labore manuum diluantur. Sic & per somnolentiam ceteraque noctium & tenebrarum opera, multa delinquimus: ideo quoque quarta hydria *vigiliarum* observantia ponitur, ut nocte surgentes ad confitendum Domino, non bonas noctes præteriti temporis redimamus. Jam verò de lingua quis nesciat quām multum inquinaverit nos per vaniloquia & mendacia, per detractiones & adulaciones, per verba malitiae & verba jactantiae? Pro his omnibus necessaria est hydria quinta, *silencium*. *Silentium*, scilicet custos religionis, & in quo est fortitudo nostra. Sexta quoque hydria *disciplina* est, qua non nostro arbitrio, sed alieno vivimus, ut deleatur quicquid indisciplinatè vivendo delinquimus. Lapidea sunt hæc, dura sunt, sed neceſſe habemus in his lavari: nisi forte voluerimus propter foeditates nostras à Domino accipere libellum repudii. Attamen in eo quod dicuntur lapides; non solum duritia, sed multò melius soliditas potest intelligi: quoniam non lavant hæc, nisi firma stabilitate permanerint.

Ait ergo Dominus ad ministros: *Implete hydrias aqua*. Quid sibi istud vult Domine? Ministri solliciti sunt de vini penuria, & tu dicis, *Implete hydrias aqua*? Illi de poculis cogitant, & tu præcipis ut vasa purificationis

tionis impleant? Sic omnino sic suspiranti Jacob ad Rachaelis amplexus, Lia à Patre supponitur <sup>m</sup>. Nobis, Fratres, qui Ministri sumus & servi vestri, per Christum nobis præcipitur implere hydrias aquâ, quoties deest vinum. Ac si dicatur: Illi devotionem desiderant, vinum requirunt, fervorem flagitant: sed nondum venit hora mea, implete hydrias aqua. Quæ est enim aqua sapientiæ salutaris, et si non adeò suavis, nisi fons vitæ, & initium Sapientiæ timor Domini? Dicitur ergo Ministris, Incutite metum, & spiritu timoris non tam vasa quâ corda replete: quia ut ad charitatem perveniant, initiandi sunt à timore, ut dicant & ipsi <sup>n</sup>: *A timore tuo concepimus Domine, & parturivimus spiritum salutis.* Sed quomodo implebuntur hydriæ? Prædixerat enim Evangelista, *capientes singulæ metretas binas vel ternenas.* Quæ sunt duæ metretæ, quæve tertia? Utique duplex timor, communis & notus omnibus: ac tertius quidem minus communis, & minus notus, *Primus enim timor est, ne cruciemur in gehenna. Secundus ne exclusi à visione Dei privemur tam inestimabili gloria. Tertius replet animam omni sollicitudine timidam, ne fortè deseratur à gratia.*

Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguít peccati concupiscentiam: sed is maximè cum ad omnem tentationem statim occurrit, ne fortè contingat amittere gratiam, ut sibi derelictus homo labatur quotidie de malo in peius, de periculo minori in graviorem culpam: quales utique multos videmus cum in fordibus sint, fordescentes adhuc. Nam adversus timorem istum non est unde sibi blandiatur anima sive de minori fortè quantitate peccati, sive de emendatione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima genera timoris. Præcipit ergò nobis Dominus, ut hac aqua hydrias impleamus. Sunt enim aliquando vacuæ, & plenæ vento: si quis tamen adeò insanus est, ut in eo per vanitatis studium illæ, quas prædiximus, observantia, mercede perpetua vacuentur, ut sunt fatuæ virgines, in quarum vasis oleum non habetur. Interdum autem (quod peius est) plenæ quidem suar, sed plenæ veneno, quod est invidia, murmur, rancor animi, & detracțio. Propterea ne fortè subintrent ista, dum vinum deest, jubemur implere hydrias aqua; ut observentur mandata Domini in timore, quæ tunc mutatur in vinum, cum timor expellitur à charitate, & implentur omnia fervore Spiritus, & jucunda devotione.

<sup>m</sup> Gen. 29. f<sup>n</sup> Esa. 16. d

Duplex timor.  
1. de cruciatu  
Gehennæ.  
2. de carentia  
gloriæ; accedit.  
3. de jauctura  
gratiæ.

Vilitas timo-  
ris, adversus  
peccati concu-  
piscientiam.